

nulla univerit, et incorporaverit beneficia; itidemque mensæ capitulari alterum univertit beneficium annui redditus ducatorum quindecim, pro *faciliori duorum cantorum manutentione*; orta fuit controversia, an prælatorum beneficiorum unio, quæ ad majorem cautelam a san. mem. Clemente VIII, auctoritate Apostolica approbata, et confirmata existerat, quæque suum sortita fuerat effectum, revocata remanserit per hanc regulam (13) Cancell. ita ut eorundem beneficiorum collatio ad Sedem Apostolicam spectaret? Et pro veritate consultus, *affirmative* respondi, *pro unione facta mansæ capitulari pro manutentione cantorum*; non enim expleta dici poterat in augmentum cultus divini ex causa necessaria, quia canonici ipsi, aut tenebantur per se canere, aut ex propriis redditibus musicam manu-

VOTUM.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt voti naturam, divisionem, materiam et interpretationem.

Hæc ad rem animadvertenda.

(1. Voti nomen accipitur variis modis. Primo, a grammaticis accipitur pro desiderio, ut *Proverb. xxxi, 2: Quid, dilecte, votorum meorum?* id est desideriorum, et in canone Missæ: *Tibique reddunt vota sua*, id est pia desideria, preces. Secundo, a juristis accipitur votum pro suffragio, vel calculo in electionibus, vel consiliis. Tertio, accipitur a theologis proprie, et stricte votum pro promissione Deo facta, ut *Eccl. v, 3*, ibi: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, et stulta promissio*; et *psal. xlix, 14: Redde Altissimo vota tua*; et de voto juxta hanc ultimam acceptiorem erit hic sermo.

(2. Votum igitur sic acceptum recte definitur, quod sit: « Promissio deliberata, et voluntaria Deo facta de meliori bono. » Sic communis Doctorum, cum S. Bonaventura in 4 distinction. 38, art. 1, q. 1; S. Thoma, 2-2, quæst. 88, art. 1; Scotus, in 4, dist. 38.

(3. Dicitur prime *promissio*, id est non simplex propositum, sed voluntas firma, et constans sese obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum, ita ut ex tali promissione *promissario*, videlicet Deo, jus acquiratur ad exigendum sibi promissum. Promissio enim est « deliberata et spontanea fidei obligatio facta alicui de re bona et possibili; et propositum est sola voluntas faciendi, vel omittendi aliquid. » (4. Unde hoc est discrimen inter propositum et promissionem, quod propositum est simpliciter sola voluntas faciendi, vel omittendi in futurum aliquid; promissio autem sit voluntas aliquid faciendi vel omittendi in futurum aliquid tanquam debitum, seu ex obligatione; sicque promissio addit proposito voluntatem se obligandi alteri, ut hic in nostro casu voti se obligandi Deo; utcumque enim propositum sit firmum ac deliberatum, nunquam evadit votum, quando abest voluntas se obligandi, ut clare

tenere, proindeque non resultabat ex unione præfata tale augmentum cultus divini, ut non esset locus regulæ (13) juxta punctualem decisionem 621, num. 13 et 16, *coram Rembald.* »

Denique illud omittendum non est, quoties ordinarius univertit beneficia contra formam a concilio Tridentino sancitam, ac præscriptam, talia beneficia remanent reservationi apostolicæ obnoxia, vigore reg. 1 *Cancell. Apostolicæ*. Hæc enim regula generaliter reservat beneficia, de quibus ordinarii collatores *disposuerint, et disponent, et dispositum fuerit* contra formam Decretorum Concilii. Et ita resolutum fuit a congregatione Datarie die 22 Decembris 1703. — Rigantius ad regul. 1 *Cancell.*, § 10, n. 41, 42.

habetur ex cap. *Litteraturam tuam* 3, De voto et voti redemptione; ubi cuidam magistro consulenti ita respondit Alexander III, Summus Pontifex: « Cum ex quadam diminutione (seu missione sanguinis), nimio fuisses mortis pavore perterritus, hæc verba protulisti; non diu hic morabor, proponens in animo, quod religionis habitum esses aliquando suscepturus: tibi igitur respondemus quod, si plus non est in voto processum, transgressor judicari non poteris, si non impleas, quod dixisti. » Sic Pontifex manifeste significans solo proposito quantumvis sancto non constitui votum, idque ob defectum intentionis, seu voluntatis se obligandi. Sic doctores communiter.

(5. Dicitur secundo *deliberata*, quia promissio subita et inconsiderata non sufficit ad rationem voti. (6. Vovens enim debet plene advertere, et cognoscere materiam, quam vovet, cum deliberatio importet advertentiam, et cognitionem materiam cum libero, et expedito interiorum sensuum usu. *Omnes.*

(7. Unde tanta deliberatio requiritur, et sufficit ad votum, quanta requiritur, et sufficit ad peccatum mortale. Sic doctores jam fere communiter post Glossam in cap. *Mulier* 14, caus. 32, q. 2, dicentem expressè, quod *qui potest se obligare diabolo, potest et Deo*, cum non videatur plus, aut minus requiri, et sufficere ad obligandum se Deo per votum, quam ad se obstringendum diabolo per peccatum mortale.

(8. Dicitur tertio *voluntaria*, id est cum libero voluntatis consensu facta, quia ad hoc, ut votum obliget, requirit liberam voluntatis imperium, seu decretum, quo vovens se Deo obligatum velit ad quidpiam præstandum, vel omittendum. (9. Unde votum emissum ex ignorantia, errore, vel dolo versante circa substantiam rei promissæ est invalidum, quia incogniti nulla est voluntas, cum voluntas non feratur in incognitum, ex Aristotele l. iii *De anima*, comment. 39, et ignorantis, ac errantis nullus sit consensus, l. *Non idcirco* 9, cod. *De*

jur. et facti ignorant., nihilque sit tam contrarium consensui, quam error, l. *Si per errorem* 15, ff. *De jurisdict. omnium judic.*

(10. Dicitur quarto *Deo facta*, quia promissio essentialiter constituens votum proprie dictum debet esse facta ipsi Deo, cum votum proprie sit actus religionis seu patriæ soli Deo debitus; unde cum quis aliquid vovet B. Mariæ Virgini, aut sanctis, intelligitur vovere Deo in honorem B. Mariæ Virginis, ac sanctorum; sicut enim cum templa, seu altaria B. M. V. aut sanctis dedicantur, dicuntur dedicati Deo in honorem et memoriam B. M. Virginis, aut sanctorum, ut explicat S. Augustinus l. xx *contra Faustum*, cap. 21. Ita etiam cum vota nuncupantur B. M. Virgini, aut sanctis, dicuntur nuncupari Deo in honorem B. M. Virginis, aut sanctorum, ut docet sanct. Thomas 2-2, q. 88, art. 5, ad 3. Ipsum enim Deum coli, ac venerari in sanctis fatentur omnes Catholici. Vel, ut alii explicant, votum in similibus casibus intelligitur fieri principaliter, ac primario ipsi Deo, beatæ autem Mariæ Virgini, aut sanctis solum secundario, ut testibus, advocatis, et intercessoribus apud Deum, sicque dicuntur solemnem vovendi formulam religiosorum: « Voveo, et promitto Deo Omnipotenti, B. Mariæ Virgini, B. N. et omnibus sanctis, » etc., habere hunc sensum: « Voveo Deo coram B. Maria Virgine, B. N. et omnibus sanctis tanquam testibus, advocatis et intercessoribus. » Ita Suarez, lib. ii, cap. 16, n. 17; Layman, lib. iv, tract. 4, cap. 1 in fine; Sporer, tom. I, tract. 3, in 2 *præcept. Decalogi*, cap. 1, n. 31.

(11. Dicitur quinto, *de meliori bono*, quia ad votum non solum requiritur, ut illud, quod vovetur, sit bonum, sed insuper ut bonum illud sit melius quam ejus oppositum: hinc votum nubendi, absolute loquendo, non tenet, quia matrimonium non est bonum melius virginitate sibi opposita. Dicitur autem notanter *absolute loquendo*, quia id quod *absolute* est minus bonum suo opposito, potest *per accidens* ex circumstantiis esse majus bonum, sicque cadere sub voto, ut patet de eo, qui se cognoscens proptum ad lapsum carnis, ad vitanda peccata incontinentiæ vovet statum matrimonialem assumere. In eo enim casu dicit Apostolus (I Cor. vii, 9): *Melius est nubere, quam uri.*

(12. Votum varie dividitur. Primo, dividitur in votum simplex et solemne. *Simplex* est illud, quod emittitur sine alia solemnitate cum nuda et simplici promissione Deo facta sive privatim, sive ore, sive tantum corde. *Solemne* est illud, quod solemnizatur per professionem religionis ab Ecclesia approbatæ, aut per susceptionem sacri Ordinis, ut habetur in cap. unic. *De voto* in 6, ubi dicitur quod voti solemnitas sit a sola constitutione Ecclesiæ inventa, ibi: « Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa; » quod etiam dicitur in bulla Gregor. XIII, incip. *Ascendente Domino*,

n. 18, ibi: « Nos considerantes vot' solemnitate sola Ecclesiæ institutione inventam esse. »

(13. Secundo, dividitur votum in reale, personale, et mistum. *Reale* est illud, quo vovens promittit aliquid de sua re, aut substantia distinctum ab actione, aut omissione personæ, v. g. eleemosynam. *Personale* est illud, quo promittitur nuda actio, aut omisio personæ, v. g. jejunium, abstinencia a lusu. *Mistum* est illud, quod participat de reali et personali, v. g. votum visitandi sanctuarium, ibique offerendi lampadem.

(14. Tertio, dividitur votum in temporale, et perpetuum: *temporale* est illud, quod ex intentione voventis solum, ad certum tempus, vel pro certo tempore obligat, ut votum jejunandi omnibus Sabbatis unius anni, non bibendi vinum hebdomada sancta. *Perpetuum* est illud, quod ex intentione voventis perpetuo, seu tota vita obligat et servandum est, ut votum jejunandi tota tempore vitæ suæ, nunquam bibendi vinum, nunquam manducandi carnes, nunquam ludendi.

(15. Quarto, dividitur votum in expressum et tacitum; *expressum*, seu explicitum est illud, quo expressis verbis aliquid Deo promittitur; *tacitum*, seu implicitum est illud, quod fit per liberam actionem habentem votum annexum. Sic qui sacrum ordinem suscipit, censetur castitatem perpetuam vovere, cum sciat susceptioni ordinis sacri annexam esse obligationem castitatis perpetuæ.

(16. Quinto, dividitur votum in absolutum, conditionatum, et pœnale. *Absolutum* est illud, quod simpliciter et absolute emittitur independentem ab omni conditione, ut cum quis simpliciter vovet jejunium, castitatem, peregrinationem. *Conditionatum* est illud, quod emittitur sub aliqua conditione, ut cum quis vovet dare calicem ecclesiæ, si a tali morbo convalescat, a tali mortis periculo liberetur, si filius suus tale inierit matrimonium. *Pœnale* est illud, quod fit in pœnam, seu quo vovetur aliqua pœna subeunda, quoties commissa fuerit aliqua culpa, ut si quis voveat se quoties osculaturum terram, quoties mentitus fuerit, se toties jejunaturum, cilicium gestaturum, se disciplina afflicturnum, quoties in peccatum carnis lapsus fuerit.

(17. Materia voti debet esse possibilis, et in potestate voventis non solum physice, sed etiam moraliter, talis scilicet quæ ab homine fieri possit communi concursu, et ordinario auxilio divinæ gratiæ: *Communis*. Et ratio est evidens, quia votum est promissio facta Deo cum intentione se obligandi ad aliquid præstandum, nemo autem se potest obligare ad id, quod non est ei possibile, nec est in sua potestate, arg. l. *Impossibilia* 183, ff. *De regul. juris*, ibi: *Impossibilia nulla est obligatio*, et cap. *Nemo potest* 6, *De regul. juris*, in 6, ibi: *Nemo potest ad impossibilia obligari*, adeoque, etc.

(18. Hinc invalidum est votum nunquam

peccandi nec venialiter: *Communis*. Tale enim votum est de re moraliter impossibili cum nos, attenta nostra fragilitate, secundum legem ordinariam cum ordinario concursu, et auxilio Dei non possimus omnino omne peccatum etiam veniale evitare, ut quotidiana experientia demonstrat.

(19. Validum tamen est votum vitandi omnia peccata mortalia, aut certa peccata venialia in specie determinata, v. g. nunquam mentiendi, nunquam, vel minimum furandi, etc. *Communis*. Id enim est nobis possibile etiam cum solo cumuni ordinario concursu, et auxilio divinæ gratiæ.

(20. Item validum est votum nullum omnino peccatum veniale cum plena deliberatione patrandi, Suarez, lib. II, cap. 3, n. 4; Layman, lib. IV, tract. 4, cap. 2, n. 2; Sporer, *loc. cit.*, n. 39. Et ratio est quia, licet homini fragili sine speciali privilegio non sit possibile evitare omnia peccata venialia, quæ fiunt ex subreptione, sive cum deliberatione imperfecta, est tamen ei possibile sine speciali privilegio, et cum solo communi ordinario auxilio divinæ gratiæ, ut in nullum peccatum etiam veniale cum plena deliberatione, et mera libera sua malitia consentiat; tum quia simile votum emissum fuisse a pluribus viris sanctis *Ecclesiastica Legenda* testatur. *Hoc tamen votum non est emittendum, nisi post multam consultationem cum viris doctis, prudentibus et piis, ut vulgo theologi monent. *

(21. Si votum sit de re partim possibili, et partim impossibili validum, et servandum est quoad partem possibilem, si partes dicti voti sint per se separabiles, nec alia fuerit intentio voventis: *Communis*, arg. cap. *utile* 36, De regul. juris in 6, ibi: *Utile non debet per inutile vitari*, præsertim si utile ab inutili separari possit. Sic qui vovit dare Ecclesiæ, vel pauperibus mille aureos, si factus impotens nequit dare omnes, tenetur dare partem possibilem. Item qui vovit jejunare totam hebdomadam, si factus impotens nequeat jejunare totam integram, tenetur ad partem, quam potest, et sic de similibus, res enim de natura sua dividua censetur voveri divisim, nisi alia sit expressa intentio voventis.

(22. Si autem partes voti promissæ sint copulatim per modum unius, ita ut obligatio unius dependeat ab obligatione alterius, ac totius promissi, tunc, si una pars sit, vel fiat observatu impossibilis, nec tenetur vovens ad observantiam alterius. Sic qui vovit sacramentalem confessionem causa jubilæi lucrandi, si factus impotens nequeat jubilæum lucrari, non tenetur ad confessionem. Idem qui vovit peregrinationem nudis pedibus, ac in cilicio, si factus impotens nequeat peregrinari, non tenetur eo tempore nudis pedibus incedere, ac cilicium gestare, et sic de similibus Layman, *loc. cit.*, n. 3, vers. *Exempla posterioris*; Gobat, tom. III, casu 3, n. 77; Sporer, *loc. cit.*, n. 68, cum Suarez, et Sanchez ibi citatis, et alii. Et ratio est, quia vovens, ut supponitur, vovit ipsas partes copulatim per

modum unius totius, seu individui, adeoque non fuit ejus intentio observare unam partem sine altera; tum quia ipsam confessionem vovit solum ob jubilæum lucrandum, et dictam incessionem nudis pedibus, ac gestationem cilicii solum tanquam accessorium ad peregrinationem, ut principale: cessante autem fine, cessat obligatio mediorum; arg. cap. *Cum cessante* 60, De appellat., l. *Adhibere* 9, § 2, ff. *De jure patronat.*, l. *Cum ratio* 7, ff. *De bonis damnator.*, et ruente principali, ruit et accessorium, arg. cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principalis. » l. *Nihil dolo*, § *Cum principalis* 129, ff. *De regul. juris*, ibi: « Cum principalis causa non consistit, nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent, » et concordat l. *Cum principalis* 178, ff. eod.

(23. Materia voti debet esse res moraliter bona. Unde opus lege naturali, divina, vel humana prohibitum non potest voveri, et si voveatur, votum nedum est illicitum, sed invalidum et nullum. *Communissima*.

(24. Sic invalidum est omne votum emissum pro re illicita a Deo impetranda, ut si meretrix voveat partem suarum meretricii, aut usurarius partem suarum usurarum, vel latro partem suorum latrociniorum dare Ecclesiæ, seu pauperibus, ex intentione movendi Deum ad sibi majorem horum iniquorum proventuum occasionem concedendam. Item invalidum est votum jejunandi, audiendi sacrum, etc., si emittatur ab impudico ad impetrandum a Deo illicitum complexum personæ concupitæ, a vindicativo ad sumendam injustam vindictam de suo inimico, ab ambitioso ad capessendam vanam gloriam, et laudem hominum, a rixoso, seu belligerante, aut litigante ad obtinendam injustam victoriam, etc. Et ratio est, quia dare eleemosynam, seu quodvis opus bonum facere ad impetrandam a Deo rem illicitam, vel iniquam, est actio mala, et blasphemum, quia talis quantum est in se, Deum auctorem peccati facit, adeoque nec licite, nec valide voveri potest. Sic doctores communiter.

(25. Validum autem est votum factum ex affectu ad rem bonam, ut bona est, quamvis conjuncta cum causa mala, et pessima, ut si quis voveat jejunium, eleemosynam, peregrinationem, religionem, etc., si ex duello evaserit salvus, si non capiatur in furto, si proles non nascatur ex suo adulterio, si infamiam evitaverit ex sua fornicatione, etc. Et ratio est quia, licet duellum, furtum, adulterium, fornicationem velle, malum et pessimum sit, tamen his positis, in duello incolumem servari, in furto non capi, prolem ex adulterio non suscipere, infamiam ex fornicatione evitare revera mala non sunt, sed bona, ac Dei specialia beneficia sunt, ad quæ proinde impetranda valida sunt dicta vota, cum non cadant super illa mala, sed super hæc bona considerata, quatenus in se bona sunt. Sic doctores passim.

(26. Opus de se indifferens non potest esse materia voti, nisi in finem bonum ordinetur. *Communis*. Et ratio est, quia res indifferens non est de se Deo grata, nisi in finem bonum ordinetur, adeoque non potest esse materia voti, nisi ex addito fine, aut circumstantia bona de indifferenti evadat bona, ac Deo grata. Sic nullum de se est votum nunquam spuendi in ecclesia, si ipsi nullus finis bonus addatur; validum autem est, si in finem bonum ordinetur, ut si fiat votum nunquam ibi spuendi, ne suis spulis fœdetur ecclesia cum nausea aliorum. Item nullum est votum non vescendi capite animalis in honorem S. Joannis Baptistæ capite diminuti, non edendi carnen tostam in honorem sancti Laurentii igne tosti, relicta interim sibi facultate vescendi aliis carnibus æque, vel magis delicatis ad satietatem. Validum tamen est, si vovens nimis affectus sit ad tale ciborum genus, et mortificationis gratia voveat Deo se abstinere ad talis sancti honorem. Item nullum est votum certarum mulierularum non nendi die Sabbati in honorem B. Mariæ Virginis, relicta interim sibi et suis facultate aliis similibus operibus laborandi; validum autem est, si mulier sic vovens sit nimis affecta ad nendum, sicque voveat non mere ad talis prædominantis passionis mortificationem, et ut interim orationi ac aliis exercitiis vacare possit.

(27. Item invalidum est votum etiam rei bonæ et honestæ, si fiat ob finem omnino indifferentem et temporalem, ut si quis voveat jejunium, abstinentiam a vino, aut certis lautioribus cibis ob solum finem parcendi sumptibus, vel sanitatem naturaliter conservandi, aut recuperandi. Et ratio est, quia in moralibus species rei sumitur a fine, adeoque si finis rei promissæ est indifferens, totus actus ex objecto erit indifferens, sicque erit materia inepta voti. Validum autem erit simile votum, si fiat ob finem impetrandi a Deo, etiam bona temporalia et indifferentia, honeste tamen et rationabiliter petibilia a Deo, ut sanitatem corporis, officium honorificum, utile matrimonium, congruas divitias, etc. Et ratio est, quia hæc a Deo tanquam eorum auctore petere, vel pro impetratis gratias agere bonum et honestum est, sicque apta materia voti esse possunt. Sic doctores communiter.

(28. Materia voti debet esse de meliori bono, quam ejus oppositum; *Communis*. Et ratio est clara, quia Deo magis placet opus, quod majus et melius est, quam oppositum minus bonum, adeoque non erit Deo acceptum, si quis voveat minus bonum, omisso ejus opposito bona majori, quia hoc ipso se obligaret ad omittendum oppositum, quod majus, et melius est, et Deo gratius; sicque tale votum utroque Deo non acceptum, invalidum est.

(29. Hinc invalidum est absolute loquendo votum nubendi, quia non est de meliori bono, cum status ei oppositus, nempe status cælibatus, sit longe melior, ut habetur ex-

presse ex Apostolo (*I Cor. VII, 38*), ibi: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit*. Et definitum a concilio Trident., sess. XXIV, canon. 10, ibi: « Si quis dixerit statum conjugalem anteposendum esse statui virginitatis, vel cælibatus; et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit. » Secus autem esset, si quis non posset frenare concupiscentiam, nisi per matrimonium; tunc enim votum nubendi esset promissio Deo grata, adeoque valida, quia, licet matrimonium, absolute loquendo, sit minus bonum suo opposito, potest tamen per accidens ex circumstantiis hic et nunc esse majus bonum, sicque cadere sub voto, juxta illud Apostoli (*I Cor. VII, 6*): *Melius est nubere, quam uri*. *Communis*.

(30. Sicque invalidum est votum nunquam vovendi, quia impedit majus bonum, cum absolute sit melius vovere. Ast tamen validum erit votum non vovendi indiscrete, temere, aut inconsulto confessario, vel viro prudente, quia vovere cum tali cautela est quid honestum ad virtutem prudentiæ spectans, ac melius, quam suum oppositum. *Omnes*.

(31. Item invalidum est votum ludendi honeste, bibendi moderate, si fiat absolute, et importet obligationem absolutam ad lussum, vel ad potum, quia, licet ludere honeste, bibere temperate sint actus boni et honesti, eorum tamen oppositum, nempe carentia, seu abstinentia est melior et Deo gratior; est tamen validum tale votum, si fiat conditionate dicendo, v. g.: *Voveo, si lusero, honeste, sine fraude, contentione et scandalo me lusurum, quoties bibero, temperate me bibiturum; quia tale votum est de meliori bono, cum, posita dicta conditione, materia voti non sit ipsum ludere, vel bibere, sed ipsa honestas in ludendo, et temperantia in bibendo, quod sine dubio melius est suo opposito: Communissima*.

(32. Materia voti debet esse de opere, et facto proprio. Unde invalidum est votum directe emissum de facto alieno, ut alieno. Sicque invalida sunt vota parentum filios, vel filias religioni voventium. Item patrum familias, cum vovent, ut suæ familiæ jejunent certis vigiliis, confiteantur, et communicent certis festis, etc. Tales enim filii, et filiæ, et familiæ non obligantur dictis votis parentum, aut patrum familias, nisi voluntarie ea ratificent, sicque vota alienæ suæ efficiant, quia in tali casu obligarentur dictis votis, utpote jam suis factis per propriam ratificationem, arg. cap. *Ratificationem* 10, De regul. juris, in 6, ibi: « Ratificationem retrahit, et mandato non est dubium comparari. » Qua ratione sacri canones, et concilia antiqua, præsertim Toletanum IV, cap. 48, cum dicunt: *Filios paterno voto religioni devotos obligari religioni, nec si jam ingressi fuerint, posse ad sæculum reverti, intelligenda sunt cum hac conditione, modo filii conuserint, aut parentum vo-*

tum ratificaverint, seu ratum habuerint, ut expresse decernitur in cap. *Cum simus* 14, De regularibus. Sic doctores communiter.

(33. Sic cum communitas aliqua vovet aliquid, v. g., monasterium certa jejunia, civitas vel pagus certas processiones, vel ferias et hujusmodi, vi voti et religionis obligantur solum primi personaliter voventes; successores autem non obligantur vi voti, nisi ratificaverint, arg. *Citatis juribus*. Unde promissiones, et vota, quæ frequenter fieri solent ab universitatibus servandi sub præcepto festum alicujus sancti, ac jejunandi in vigilia, non obligant populum, qui tamen potest sponte promissa servare; et nullus est pœna cogendus, ut illa die abstineat ab operibus servilibus; Barbos., in *Collectan., decis. Apostolic.*, verb. *Festum in Communi*, n. 8; Monacell., part. II, tit. 13, formul. 1, n. 15, ubi testatur se vidisse pluries, supplices libellos hac in re. sacræ congreg. Rit. porrectos pro confirmatione hujusmodi promissionum et votorum fuisse rejectos, et præsertim in *Urbeveta* 6 Octobris 1696; in *Messanen. voci Melazzi* 25 Januarii; et in *Alessanen. Terræ Corsani* 6 Septembris 1698.

* Hoc ipsum docet Cuncti tract. 4 De Decalogi præcepto, cap. 10, § 4, num. 6, cum nonnullis tamen limitationibus. Sic enim habet: « Ad vota communitatis præsentis, regulariter loquendo, non tenentur posteri futuri, nisi actiones illæ, aut consuetudine præscribantur, aut in voti emissionem intervenit etiam episcopi consensus. Quia et consuetudo præscripta vim legis habet, et consensus episcopi inducit vim quamdam præcepti: ita ut posteri succedentes, non vi voti prædecessorum, sed vi præcepti episcopalis implere teneantur. Plerumque tamen obligantur, tum ratione scandali, quod aliis observantibus afferret, tum ratione dissensionum, quas, diversimode ab illis se gerendo, excitarent. »

(34. Opera præcepta possunt esse materia voti; unde quamvis præceptum sit de non fornicando, de non furando, de audiendo sacro diebus festis, de jejunando in Quadragesima, et hujusmodi, adhuc de similibus validum et obligatorium votum emitti potest, et transgressio talis voti, verb. gr. fornicatio, furtum, et hujusmodi, duplex erit peccatum, et contra præceptum non fornicandi, non furandi, et hujusmodi, et contra religionem proprii voti; et ratio est quia, cum necessitas præcepti non sit simpliciter sed solum ex suppositione finis, nempe si homo peccatum evitare, et salutem consequi velit, juxta illud (*Matth. XIX, 17*): *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ac proinde voluntas simpliciter libera maneat ad opus præceptum, vel prohibitum faciendum, vel omittendum, aut e contra; ideo poterit ipsa magis determinari, et obligari per votum, cum nihil obstet eadem ex diversis obligationum capitibus debitam esse, ac diversis vinculis astringi ad idem, uti notant DD. in l. *Scire* 29, § *Si a jure*, ff. de verbor. obligationibus.

(35. Magis meritoria sunt opera bona facta ex voto, quam si sine voto sponte fiant. *Communis*. Et ratio est, quia melius, et magis meritorium est opus habens duplicem honestatem, quam habens unicam; sed opus bonum factum ex voto, ultra honestatem religionis, ergo, etc. Tum quia plus Deo dat, et consecrat, qui ex voto bonum operatur, quam qui sine voto, quia ultra actum, quem dat aliter, etiam dat voluntatem, quam Deo astringit, sicuti plus dat qui non tantum fructum, sed etiam arborem donat, ut recte notat S. Anselmus lib. *De similitudinibus*, cap. 48, adeoque melius, et magis meritorium est opus bonum ex voto, quam si sine voto sponte fiat.

(36. Nec valet objicere, quod qui operatur ex voti obligatione, magis ex necessitate quam ex libera voluntate operatur, adeoque minus meritorium est ejus opus, cum Apostolus *II Cor. IX*, dicat: *Non ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus*. Non valet, inquam, quia necessitas obligationis orta ex voto minime tollit libertatem voluntatis, nec minuit, quia homo justus sponte ac libere operatur, quod sponte ac libere vovit, etsi forte non operaturus, nisi vovisset. Et Apostolus loquitur de necessitate contra voluntatem imposita, non de illa, quam quis sponte assumit in voto; unde S. Augustinus, epist. 43, *Ad Armentarium et Paulinam*, expresse dicit: « Felix est necessitas, quæ in meliora compellit. »

(37. Vovere, et voto se Deo obligare possunt omnes sufficientem usum rationis habentes, præsertim post septennium; quamvis etiam ante septennium id possit fieri ab aliquo, cujus cognitio, seu malitia prævenit, aut suppleverit ætatem; sic doctores jam fere communiter post glossam in can. *Mulier* 14, caus. 32, q. 2. dicentem expresse, quod « qui potest se obligare diabolo, potest et Deo; » cum non videatur plus, aut minus requiri, et sufficere ad obligandum se Deo per votum, quam ad se obstringendum diabolo per peccatum mortale.

(38. Votum inducit obligationem in conscientia exsequendi promissum. *Communis*, et certa, et habetur expresse ex pluribus sacræ Scripturæ locis; *Deuteronomii XXIII*, ibi: *Si nolueris polliceri, absque peccato eris; quando autem semel egressum est de labiis tuis, observabis*. Rursus, *ibid.*: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum; Ecclesiastes V*, ibi: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, et stulta promissio*; psal. *LIX*, ibi: *Redde Altissimo vota tua*; psal. *LXIX*, ibi: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*, cum similibus, et est expresse definitum in c. *Licet* 6, De voto.

(39. Votum per se loquendo obligat graviter, ubi materia gravis est, et leviter, ubi materia est levis: *Communis*. Et ratio est clara, quia votum est quædam particularis

lex, quam vovens sibi imponit: lex autem graviter aut leviter obligat juxta gravitatem et levitatem materiæ, adeoque sic etiam votum.

(40. Dicitur autem notanter *per se loquendo*, quia potest vovens obligare se ad rem gravem solum sub culpa levi, si id vovendo expresse intendat; *Communis*. Et ratio est, quia sicut in libertate voventis est obligatio quoad substantiam, ita etiam quoad modum; unde sicuti, ut dicit Glossa communiter recepta in cap. *Litteraturam* 3, verb. *Proponens*, De voto: « Nemo se obligat, nisi qui habet animum se obligandi, » per text. in l. *Obligationum* 44, ff. *De obligationibus et actionibus*: ita nemo se obligat graviter, si vovendo expresse intendat se obligare tantum leviter: tum quia sicuti lex de materia gravi obligat leviter, ubi sic statuit legislator, ita etiam votum (quod est lex quædam particularis), ubi sic intendit vovens.

(41. Nec valet dicere, quod sicuti non potest quis profiteri in aliqua religione, aut promittere, vel inire matrimonium sub obligatione levi, ita neque potest vovens se obligare ad rem gravem solum sub culpa levi. Non valet, inquam, ratione disparitatis: et disparitas est, quia illi actus sunt utrinque onerosi, et ideo, cum religio profitenti, debent et illi graviter se obligare, alias non servaretur æquitas, quod non currit in emittente solum votum simplex, de quo solo simplici voto est intelligenda conclusio, et non de voto solemnni, quod, cum involvat mutationem status, non acceptatur, et consequenter irritum est, si tantum intendatur obligatio levis.

(42. Non potest tamen vovens obligare se ad rem levem sub culpa gravi, quia materia levis est incapax obligationis gravis, et sicuti non potest legislator materiæ capacitate excedere, ita nec vovens. Sic doctores communiter (43). Qui tamen recte advertunt, quod qui vovet rem levem sub culpa gravi, format sibi conscientiam erroneam credens se ad id obligari sub mortali; quare si cum tali conscientia erronea postea transgrediatur votum, peccabit utique mortaliter, at non vi voti, quod fuit incapax tantæ obligationis, sed vi conscientiæ erroneæ dictantis se ad id obligari sub mortali, ut patet ex dictis sub verb. *CONSCIENTIA*, De conscientia erronea.

(43. Nec valet instare quod sicut vovens potest se obligare ad rem gravem solum sub culpa levi, ita potest etiam se obligare ad rem levem sub culpa gravi. Non valet, inquam, ratione disparitatis: et disparitas est, quia materia levis non est capax obligationis gravis, materia autem gravis, cum sit capax obligationis gravis, a fortiori erit capax obligationis levis; tum quia Deus non acceptat materiam levem ad obligationem gravem, quia non conducere ad salu-

(44) His assentitur Coccina, qui tamen ex hac ipsa causa negat posse quemquam se leviter tantum obstringere si voti materia sit gravis. Vide

tem, sed ad periculum animæ; acceptat autem materiam gravem ad obligationem levem, cum id nullum involvat periculum animæ, seu salutis.

(44. Votum personale obligat præcise personam voventem, adeo ut persona vovens nequeat ipsum votum ex ea parte, qua est personale, per alium adimplere. Unde qui vovet jejunium, disciplinam, peregrinationem, et hujusmodi, tenetur per se ipsum illa exsequi. *Communis*. Et ratio est clara, quia votum personale requirit actionem propriam personæ voventis, quia sicuti factum proprium promisit, ita factum proprio et non alieno exsequi debet.

(45. Qui votum suum personale non potest per se ipsum adimplere, sive culpabiliter sive inculpabiliter in eam impotentiam inciderit, non tenetur illud per alium exsequi. Sic cum Silvestro, Navarro, Suarez, Sanchez, Layman., l. cit., c. 3, num. 9, testans de communi doctorum, Sporer, loc. cit., n. 126, testans de communi cum supra citatis contra S. Antoninum et aliquos alios. Et ratio est, quia actus non se extendit contra intentionem agentis; intentio autem, seu promissio voventis fuit, se facturum aliquid solum per se ipsum, v. g. per se ipsum jejunaturum, oraturum, peregrinaturum, etc., adeoque si id non possit per se ipsum, non tenetur adimplere per alium. Si autem etiam ad hoc ipsum se obligare intenderit vovens, sive expresse, sive implicite, ut si dum voverat, cognovit suam personalem impotentiam, tunc ne votum irritum, et illusorium reddatur, interpretari debet, quod intenderit per alium exsequi. Sic ex Hostiensi tradit Abbas in cap. *Licite* 6, num. 13, *De vot.*; Layman., loco cit., num. 9; Sporer, loco cit., num. 126.

(46. Obligatio voti personalis, vovente mortuo, non transit ad hæredes: *Communis*. Et ratio est, quia cum votum personale respiciat tantum personam voventis, aut ejus actionem, exstinguitur exstincto vovente.

(47. Transit tamen ad hæredes obligatio voti realis vovente mortuo, sufficiente substantia relicta, sive is culpabiliter, sive inculpabiliter in vivis solvere omiserit: *Communis*, textu expresso in l. *Si quis* 2, § 1, ff. *De pollicitationibus*, ibi: « Si forte, qui decimam honorum vovit, decesserit ante sepositionem, hæres ipsius hæreditario nomine decima obstrictus est; voti enim obligationem ad hæredem transire constat; » et concordat cap. *Licet* 6, De voto, cap. *Ex part.* 18, De censibus. Et ratio est, quia hæres voluntarie adeundo et acceptando hæreditatem defuncti, sicut omnia ejus commoda et jura acquirit, ita etiam omnia ejus onera, debita et obligationes reales in se suscipit, adeoque etiam obligationem voti realis, seu promissionis factæ Deo de aliqua re in ejus honorem præstanda, arg. cap. *Licet* 6, De voto.

(48. Item ad hæredes transit obligatio voti eundem in *Compend. Theol. Christ.*, lib. III, in *Decal. præcept.*, diss. 9, cap. 4, in resp. ad quæst. 1.